

1329

D O G M A T I C I

1330

DXC.

R. 2014 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 323. f. per duas columnas nitidissime exaratus, coloribus speciosus, et olim fratrum Carthusiensium prope pragam, quorum Codices exeunte Seculo praedicto, et imminente Hussitico Carthusiae excidio ad Axbacensem in Austria Conventum translati fuisse mihi videntur, plura complectitur, quae ediffero. Initium facit Tractatus Dogmaticomoralis, cujus Praefatio incipit: *Cum solus in cella sederem et aliqua de catholica fide mente reuoluerem, cogitare mecum tacitus cepi. Quam esset absurdum. Quam inconueniens et iniustum. Quam et recte rationi contrarium dogma deridere catholicum. Dum docet deum unum esse et trinum, dum uerbum docet eternum carnem in tempore esse factum, dum docet &c.* Ita pergit enumerare Dogmata, quae praecipue captum hominum excedunt, et inde a Philosophis impugnantur, contra quos pollicetur usurum se Argumentis, quae ad *Hominem* vulgo dicimus, ab Exemplis sensibilibus petitis, ut dum suis exemplis respondere non poterunt, eorum arrogantia mentis bis naturalibus exemplis inuoluatur pa-

riter et conuincatur. Nam sophisticæ questionis est alioquin sophisticæ respondendum et pro uerbo uerbum reddendum, ut dum uiderit homo, se non esse sufficientem respondere ad minima, credat se non posse ad maiora. Bona Methodus et vel hodie commendanda. *Erit ergo totale hoc opusculum in tres librunculos conditum. In quorum I. agatur de fidei articulis. In II. de dominicis sacramentis. In III. de uirtutibus siue donis nec non et uitiiis illis contrariis.* Pars porro I. censet Capita 21. II. 17. III. uero multo prolixior 92. Per totum Autor sua Philosophorum dictis, exemplis historicis, et similitudinibus e Naturae regno petitis stabilit et illustrat, eruditione nulli aeuo suo inferior. At quod illud aeuum? Seculum XIII. putem; *Richardum* enim et *Hugonem* citat. Cum uero *Ricardum* scribat et *Ugonem*, insuper *Romagnolam*, et frequenter *Barones* adpellet, *Italus* uidetur et *Monachus*, quod e *Cella* arguo. Utinam et Nomen eruere licuisset!

II. fol. 112. p. 2. succedit *Sequentia de S. Agnete* in quadrilinerari Schemate Notulis uetustis fultem Sec. XII. illigata, cujus initium:

*Pulchra facie, sed pulchrior ihesu cristi fide
Agnes que diceris mors caduci mundi amoris
Et electrix sponsi uitalis decoris.
Nos torpentes in penitentie proris.
Prece pia uirgo dya excita.
Ne erremus deuiemus patrie in uia.*

O 2

Et

*Et in cunctis nobis assis anime et corporis
Periculis gloriosa agnes et in extremis horis.*

Deinceps sequitur: *Laus sit regi glorie &c.* quod jam alio etiam loco hujus *Vol.* retuli.

III. fol. 115. prorsus eleganti calamo *Incipit liber de exemplis sacre scripture compositus a fratre nicholao de Hanapis ordinis pred. patriarcha Jerosolimitano.* Idem ad calcem repetitur. Praeit index Capitum, quorum I. sic orditur: *Creatio rerum fuit ita mirabilis &c.* Opus ipsum bis relatam *Vol. I. P. 1. col. 448. P. 3. col. 2693.* ubi plura de eo et Autore, iterum redibit *Vol.* praef.

IV. fol. 221. *Constitutio Bonifacii VIII.* quae incipit: *Super cathedram eminentie pastoralis &c.* litesque inter Clerum secularem et FF. Praedicatores, Minoresque circa licentiam praedicandi, confessiones excipiendi, sepeliendique componere nititur. Data est *Laterani duodecimo kalend. Marcij Pontificatus Anno Sexto.* Igitur a. 1300. non vero 1303. ad quem annum obiter ejus meminit *Odor. Raynaldus in Annal.* Nihil de ea in *Bullariis, Ciaconio, Fabricio.* Extat tamen inter *Decretales L. III. Extravag. commun. C. de Sepulturis.*

V. fol. 224. *Incipit Opusculum exemplorum ad predicationem uerbi dei necessaria et habet capitula uiginti, et primum capitulum est de miraculis beate virginis quod habet tres diuisiones.* Compilato-rem edere non possum; dabo tamen e Praefatiuncula, unde sua

legerit, uidelicet e *IIII^{or.} libris dyalogorum beati gregorii et ab omeliis euuangeliorum ab eodem compositis et a libris beati augustini de ciuitate dei et ab ecclesiastica ystoria et tripartita a beato eusebio et beato Jeronimo de statu primitiue ecclesie compositis et ab ecclesiastica historia anglorum secundum bedam presbiterum et a libro qui dicitur X. Collationes patrum (Cassiani) et a libro qui dicitur paradysus qui de eadem materia loquitur (fortasse Job. Moschi Viridarium s. Pratum Spirituale) et a libro barlaam et de passionali scilicet de passione aliquorum martirum uita et conuersatione et sine ceterorum sanctorum. Ad calcem minio: *Explicit tabula super opusculum exemplorum et est scriptus per manus fratris Nycolai de Franquavilla. Finis adest operis mercedem posco laboris.* Calligraphici sane, sed errores grammatici in Titulo et Claufula admissi ferulas potius merebantur.*

VI. fol. 303. p. 2. *Incipit tractatus super missam qui dicitur speculum ecclesie quem frater Hugo de ordine predicatorum composuit.* Initium: *Induite uos armatura dei* — — *Armatura est uestis sacerdotalis &c.* Ad bis relatam *Vol. I. P. 2. col. 1360. et P. 3. col. 3051.* non est, quod addam.

Deinceps aliis manibus et currente calamo haec Codici addita sunt: 1) Sermones VII. quorum singuli incipiunt: *Poenitentiam agite*

1333

D O G M A T I C I.

1334

gite. 2) Sermones VI. pariter omnes auspicientes: *Cum jejunatis* &c. 3) Nota de Praedicatis in Divinis, quae supra Substantiam, et quae supra Personas cadunt. 4) Indiculus Numerorum sex columnis, videlicet: *Cardinales, Nomina Numerorum, Ordinales, Dispersiui, Aduerbiales, Ponderales*, ab Unitate ad Millenarium. Ita v. g. *Mille. Millenarius. Millesimus. Milleni. Millies. Milleculum.* 5) Formula Literarum, qua Plebanus Plebizanum Pontifici pro absolutione a perpetrati Homicidii culpa commendat.

DXCI.

U. 307 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 152. f. per duas columnas maximam partem eleganter exaratus, minio distinctus, et olim, ut praefert, Collegio Ducali *Wienne* donatus a *M. Petro de Pirchenwart* non semel jam memorato sequentia complectitur: I. ut e calce adsumo, *Questiones de ente disputatas et determinatas a fratre Petro thome de ordine fratrum minorum in studio Barchinone.* Ineunt illae: *Sicut dicit philosophus 1^o. phisicor. c. 15. Primum est secundum naturam communia dicere et sic circa vnumquodque propria speculari. ignoratis enim communibus ignorantur et propria &c.* A Transcendentalibus igitur auspiciandum, inter quae primum et praecipuum locum *Ens* teneat. De hoc porro Quaestiones III. confurgunt, quae in multas alias subsecantur. *Primo inquire-*

tur de conceptu entis. 2^o. de consequentibus ipsum. 3^o. de primis partibus ipsius entis. Atque haec ea subtilitate differuntur, quam a *Scoti* discipulo expectes.

II. fol. 47. iterum e calce: *Questiones de distinctionibus formalitatum determinate per fratrem Petrum thome dum esset Lector in conuentu barchinonen.* Initium est: *Ad primum sic proceditur et videtur quod ad distinctionem essentialem non requiratur necessario possibilitas separationis &c.* Processus ejusmodi IX. sunt, et postremus finit: *sicut patet in realitate generis et differentie respectu speciei, et materie et forme respectu compositi ipsius.* Mirum, quod ipsae *Quaestiones* absint.

III. fol. 67. Incipit quodlibet *ipsius.* Titulus hic a secunda manu minio rescriptus est. Quaestionibus miscellaneis philosophicotheologicis XXV. constat, ad quas ita ingreditur Autor: *Deus fecit hominem simplicem et rectum et ipse infinitis se miscuit questionibus. Eccles. 7. In quo quidem verbo innuitur generis humani status &c.* Ultima Quaestio est: *Vtrum ponens creaturam habuisse aliquod verum esse reale possit saluare creationem; et ejus conclusio: et in ipsa etiam prehabet aliquantulum id, quod fit esse subiectiuum.* En igitur *Tractatus III. acuti Scotistae*, de quo nihil *Fabricius*, nihil *Bayarius* in nova Edit. *Bibliothecae Hisp. Nic. Antonii.* Solus *Waddingus* in *Scriptt. O. M.* nomen *Viri*, et V. Opera memorat, inter quae de nostris non nisi *Tractatus*